

Aprum amat, & mullos, & fumen, & ostrea, non te:
Tam bene si coenam, noster amicus erit.

Sic ergo simus. quod repeto, *homines perpaucorum hominum*: ne tamen (quod iterum monet Romanus sapiens *epist. 3.*) adeo in latebras refugiamus, ut putemus in turbido esse, quicquid in luce est, sed ita hæc inter se misceamus, ut & quiescentes agamus & agentes quiescamus, cito enim (*epist. 81.*) inerti otio omnis vita torpebit, si relinquendum est, quicquid offendit. Ita enim iterum, & verè *Martialis*, (*lib. V. epigr. 29.*)

Ego esse miserum credo, cui placet nemo,
ubi cum *Platone* ipsi convenit (*epist. 4. ad Dion.*) ἦδ' ἀνθρώπων ἐρημία ζύνομεν.

XXI.

Prolixiores in hac *hominum exiguitate* fuimus, ideoq; condimento brevitatis succinctiores *saltemus*. Sequitur (*v. 32.*) *Plus millies audiui*. Parallelismus est in *Phormione* (*III, 2, 2.*) At enim tædet jam audire eadem *millies*: & *Cicerone* (*Milonian*) *Millies* in eâ (villâ) fuerat.

XXII.

Ego illum Eunuchum, si opus fiet, vel sobrius (*III, 3, 26.*) abruptum est filium verbi commodi, quia Thraso ad solum parasitum submissiùs nec audientibus ceteris inter orationem Parmenonis hæc dixit, quæ est explicatio commodissima *Böcleri-Cicero* antem dixit (*lib. III, in Verr. ubi de epist. Timarchidis*), *Omnia ludibundus perficies*. Ita apud *Prudent*, *Psychomach. v. 249.*

Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
invalida ista manus: neq; enim perfringere duris
dignamur gladiis, argenti & sanguine ferrum
imbuere, fragiliq; viros foedare triumpho.

Lucan. lib. IV. v. 620. — — nec viribus uti

Alcides primò voluit certamine totis.

Similis loquutio *Numer. XIV, 9.* Sicut panem comedemus eos, Sie werden uns nur ein Morgen Brot; *cap. XXII, 4.*

Quo.